



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi  
praesertim Ecclesiae accommodatum**

**Frangipani, Ottavio Mirto**

**Coloniae Agrippinae, 1597**

**VD16 F 2269**

De Indulgentijs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](#)

7. Nec in paumento Sanctorum imagines pingantur, nec eo loco, vbi aliquando clavis transfigi poterunt, vel pluia aut vligine deleri; & licet in muro ex viuo & polito lapide constructo, sacræ historiæ, nisi aliud obsit, depingi aliquando poterunt; in muro tamen aut pariete, qui argilla aut calce incrustatus est, cum eiusmodi incrustatura facile decidat, nunquam pingantur, sed paries aut murus huiusmodi, tela linea, aut tabulis politis, artificioseque compactis, picturæ excipiendæ causa vestiatur.

## DE REPRÆSENTATIONIBVS.

**R**epræsentationes tr̄ium Mariarum, visitantium Dominicum sepulchrum, quæ nocte resurrectionis Dominicæ in quibusdam Ecclesijs fiunt; cum potius in ijs inueniamus, quod mouere risum possit, & deuotionis intentionem deprimere, quām pietatis aliquē affectum excitare, prorsus intermitti volumus.

2. In sacris supplicationibus nullæ similiter sancto-  
rum, aut sacrarum historiarum, ne ipsius quidem Chri-  
sti saluatoris, à personatis adolescentibus, aut alijs, re-  
presentationes fiant, vel quidquam quod possit intuen-  
tum animos, ab eo, quod in supplicatione potissimum  
spectandum est, ad se rapere.

I.

Conc pron.  
Sub Adolph.  
3. in cens. 5<sup>a</sup>  
decretis cap.  
Nihil propè  
tam sanctum  
pa. 451. 452.

## DE INDVLGENTIIS.

**Q**VIA clavium potestas à Deo in edificationem fidelium tradita est, non in destructionem: nequaquam per falsas, indiscretas, ac superfluas indulgentias, fideles decipiendi sunt, ac poenitentialis satisfactio eneruenda. Quare in virtute sanctæ obedientiæ, omnibus ac singulis Ecclesiarum quarumcunque, tam regularium quam secularium Prelatis ac Rectoribus mandamus, ut indulge-

Y y 2 tiarum

I.

tiarum Ecclesiæ suæ faciant indicem, & quibus pietatis operibus, quas indulgentias concessas habeant, & à quibus eas habeant accuratè annotent, ac in proxima Episcopali Synodo, vel per se, vel per superiores suos examinandas tradant; vt si quæ falsæ aut fictæ reperiantur, rejiciantur, omnisq; abusus, si quis irrepserit, tollatur, & quæ legitimæ inuenientur, Romano Pontifici, confirmandæ, atq; innouandæ exhibeantur, ac ad maiorem fideliū certitudinem, atq; excitationem, in quibusq; Ecclesijs authentico scripto, publico loco, ac conuenienti, ad aspectum omnium proponantur.

*Oetera de indulgentijs vi de iii De Paſtōribus.*

2. Falsæ, vanæ, & ad imposturam excogitatæ habentur, immodicæ & plus æquo exorbitantes indulgentiæ, quæ ex leuibus causis incertisq; relationibus, sine legitima vlla authoritate, scriptis quibusdam & impressis libellis insertæ sunt, ac in tabellis, quas alicubi videre est, nonnullis orationibus adiunctæ: præsertim si promissiones cōtineant certorum effectuum, periculorum scilicet euitationem, à gladijs, à tormentis, ab aquis, à peste, aut liberationem certam à Purgatorio.

## DE SEPVLTVRA ECCLESIASTICA.

*S*epultura careant Ecclesiastica omnes hæretici, schismati, Venefici, Sortilegi, Religiosi proprietarij, publici Simoniaci, Vsurarij, & illi qui sibi manus violentas intulerunt, aut in duello mortui sunt; omnes excōmunicati; quiq; præcepto Ecclesia; *Omnis \* utriusq; sexus, satisfacere contempserint; ac postea subita morte præuenti fuerint: nec non & illi, qui contempserint sacramunctionem; qui cum antea fuerint de hæresi suspecti, Pastorem ad se in morbo aduocare neglexerint; licet ipsis iam rationis vsu & officio priuatis, à Parentibus aut amicis Pastor aduocetur; nisi eodem Pastore præsente, aliquod nota-*